

S. An. 27.

P. AUGUSTINI WEIL

S. ORDINIS CARMELITARUM, S. T. LICENTIATE
ET PHILOSOPHIAE PROFESSORIS P. O.

QUATUOR
PROBLEMATTA PHILOSOPHICA

*Publicae Literatorum disquisitioni exposita
ab
ornatis & eruditis Dominis*

De mane ab hora 9. sub praesidio.

- | | |
|--------------------------|----------------|
| D. JOSEPHO DOSSERT. | GELDRO. |
| D. PETRO FEUTH. | GELDRO. |
| D. JOSEPHO HEILIGENCAMP. | GELDRO. |
| D. J. WINANDO TEMONGE. | STRALENSI. |
| D. JANUARIO TEILMANS | EX TONNISBERG. |

Post prandium ab hora 2. sine praesidio.

- | | |
|--------------------------|---------------|
| REL. F. EADMUNDO SLOOTS. | S. ORD. CARM. |
| D. JACOBO STERGHIS. | EX HORST. |

GELDRIÆ 26. AUGUSTI 1790.



Geldria, ex Typographia Regia Privilegiata N. SCHAFFRATH.

VIRO ILLUSTRISSIMO DE CONINX
IN DUCATU GELDRIAE CANCELLARIO,
SERENISSIMO, POTENTISSIMOQUE BO-
RUSSORUM REGI A CONSILIIIS INTIMIS,
SAPIENTIA, INDOLE, VIRTUTE NOBILISSIMO,
IMMORTALIBUS IN PATRIAM & PATRIAE PATREM
MERITIS INCLUTISSIMO,
MUSARUM HUIJATUM STATORI
EARUMQUE
PRAECIPUO MAECENATI
&c. &c. &c.



Praeses & Defendentes.

Positi in orbem terrarum, — tenellis organis, detentis lentulisque animi viribus huc positi — adolevimus vix aut nunquam meditati graves illas ac carissimas quæstiones: Quid Mundus? Quid Homo? — Ita indeprehenta adsuetudine viriumque successiva evolutione minuitur earundem præstantia, minuitur conscientia. Verum enim vero ingressi nos ædem sapientiæ easdem majusculis inscriptas literis legimus, simulque ibi de hominis & mundi altius inquirenda origine, natura & ratione problemata solvenda accepimus. En data:

PROBLEMA I. Solve dubium, an mens humana dictis quæstionibus decidendis sufficiat...

PROBLEMA II. Exhibe pragmaticam mentis historiam factis principiisque commendatam...

PROBLEMA III. Da Metaphysicam quæstionibus hisce accommodam...

PROBLEMA IV. Cedo media felicitatis cum in se tum in aliis procurandæ...

Problematum concisæ solutiones,

SOLUTIO I. Prima omniumque gravissima ut absolvarur propositio, duæ, quas complectitur, partes examinantur. quarum altera determinet absolutos atque constantes, quos nemini adhuc migrare licuit, cognitionis humanæ limites, altera enuntiet illam, quæ in hominem ita limitatum cadat, veri cognitionem. Hæc effrenem Scepticismum, illa fastosum continebit Dogmatismum.

SOLUTIONIS PARS Ia. Ut igitur statim cognitionis nostræ termini nobis innotescant, prima ejusdem elementa necesse est investigare, quæ me aliisque arbitris Philosophi Criticæ Kantianæ anteriores aut ignorarunt, aut bifariam non satis considerarunt. Qua de re en ipsam Kantii theoriam: Principia cognitionis admittit vir præstantissimus vim sentientem (Sinnlichkeit) & intelligentem (Verstand) ita, ut

illius ope quid intueamur, isthac vero cogitemus & cognoscamus, idque totum hae ratione: Vis sentiens á priori (reine Sinnlichkeit) dat formam & sensio ipsa materiam intuitus (Anschauung), intuitus autem praesentat materiam & intellectus formam conceptus. Recte omnino; inde enim tenemus utriusque facultatis & connexionem & differentiam; haecque admonemur, ne unquam praedicata intra intuitus ad subjecta extra eosdem transferamus, illa vero edocemur, puri intellectus usum in iis ipsis, quae sensus intuentur, cogitandis esse immanentem; etenim necessariis istis á priori intellectus functionibus iudicamus, idipsum vero est ex conceptibus, & conceptus sunt ex intuitu, quem phaenomena gravidant & objectivae rerum veritatis sponsores constituunt: Ergo et objectivus puri intellectus regularum usus non nisi in ipsa phaenomenorum serie seu experientia ejusque corollariis cernatur necesse est. Wo Wahrnehmung und deren Anhang, inquit Kantius, nach empirischen Gesetzen hinreicht, dahin reicht auch unsere Erkenntniß vom Dasein der Dinge. Fangen wir nicht von Erfahrungen an, oder gehen wir nicht nach Gesetzen des empirischen Zusammenhangs der Erscheinungen fort, so machen wir uns vergeblich Staat, das Dasein irgend eines Dinges errathen oder erforschen zu wollen. Viro equidem speculationibus adueto difficillime persuadetur, scire nostrum hisce constringi limitibus, quidquod? cum Platone eosdem auacter transiliet, sperans se illinc ignotas adhuc veritatum regiones esse reperturum; sed perperam, haerebit, nec puncto pedem movebit, quippe qui cum in loco lubrico positus sit, non habet, quo nitatur ac sese sustentet. Corollarium. Non est, quod Philosophus constricta nostrae intelligentiae sphaera responsum istud: Hoc nescio, proferre recuset; profecto temeritati illi, qui quid in buccam venerit, ad datas quasvis interrogationes effutiendi absurdissimae quaeque opiniones suam debere originem.

SOLUTIONIS PARS ALTERA. Verum ex eo, quod plurima ignoramus, inferre non licet nos nihil scire; sint enim nobis ignotae, si quae planetas incolant, gentes; populos tamen telluris nequit quisquam dicere nobis profus esse incognitos: & utut etiam in circulo nondum plene perspecta sit diametri ad peripheriam ratio, veritates nihilominus, quas de circulo edocemur, cum permultis aliis indubitatae invictaeque persistunt. Quid igitur, o Sceptici, genus hominum in nihilo sciendo occupatum, quid verum nihil esse aut istud saltem á nobis intelligi non posse contenditis? Quid nos ac res quascunque extra mentem existeri negatis? Quid vitam perpetuum somnium, in quo videntur, quae re vera non sunt, stulte habetis? — Scitote, ab hominum memoria & veritatem & probabilitatem adeo omnium perstrinxisse oculos, ut nec illius, nec hujus fulcra unquam labefactari sinerent; non veritatis: — obscurate enim, quae in quibusdam videtur, lucem evidentiae, cui non aliunde adfentimur nisi ex vera nostrae naturae lege, quam qui sequi nollet, absurde ageret, nec secundum naturam viveret; infirmate, si tantum ingenio valetis, ingenua sensus communis sensusque intimi testimonia, & quam sensibus externis adlegamus fidem, corruptite: — demum nec probabilitatis. — quis enim ibi, ubi cecitudo haberi

habet ne
momenti
simul
nunc et
tero, qu
de conne
causis a
que ord
ut judic
quam
vera fu
profus
sola vi
non sit

S
jectum
So, qu
mih
ratione
simplic
tute p
radoxa
aut in
nam al
adventu
quibus
actionum
mixtae
rite com
quae su
praesentia
volentibus
responden
te infinitas
perquam
is mater
dimerae
non fusa
iam scitudo
divinam

haberi nequit, imprudentiæ arguatur, si ea, pro quibus plura, certiora, majorisque momenti *data* fuere, & judicando & agendo sequatur. Atqui ut denique vobis somnium excutiamus, vobiscum parumper joculari lubet: somnium itaque, in quo nunc estis, quodque vigiliam nobis adpellare liceat, multum sane differt ab illo altero, quod vobis evenit, postquam dormitum concessistis, in hoc nullus ordo, nulla connexio, quidlibet ex quolibet fit; in illo contra est certus ordo omniaque suis causis apta connexaque cernuntur: proinde constans hic successionis consecutionisque ordo motivum vobis erit judicandi; suprema quippe adensus nostri lex esto, ut judicii saltem practice sufficiens adsignetur ratio. Porro somnium non est, nisi quadam cogitatorum factorumque à phantasia facta instauratione; aut igitur olim in vera fuistis vita, ex qua innovatæ nunc cogitationes vestræ existant, aut eadem prorsus novæ ex præsentis habeantur; prioris vitæ non meministis, & ex hac illas sola vi animæ non possidetis, quippe quæ sibi conscia est & idearum & statuum non sibi sed ab extra tactis mutationibus debitorum: ergo....

SOLUTIO II. Anima — meum Ego, sensationum istud cogitationumque subiectum — sibi conscia est, se vera vi agendi præditam, seque à suis ideis & ab ipso, quod suum adpellat, corpore esse diversam. Ego enim, Materialistæ! ego qui mihi omni tempore unus idemque videor, non sum adgregatum plurium aut cogitatione carentium, aut quorum singulis sua foret cogitatio, sed sum una eademque simplicissima natura, sum, si tibi loquar Batave Spinoza, peculiaris, multaque confuse percipiens, hinc imbecilla & limitata substantia. Sed missa faciam aliorum paradoxa, pergamque agere cum anima agente: a) *Sensatione*, quæ intueor quædam aut in spatio & empirice extra se posita aut diversi generis; unde & aliam externam aliamque internam denomino: subjectivam utriusque dari formam eamque non adventitiam sed à priori in mente definitam criticè concludo. Sensationum externarum, quibus firmum de causa extra nos posita, idque, ni fallor, ex sensu discriminis actionum & passionum, cohæret iudicium, non una est ratio, sunt enim puræ & mixtæ, suntque spuriae atque tenaces; hinc opus cautione, quam & quoad internas rite commendant, ne ipsas animi statuum sensationes cum iudiciis ex iisdem ortis, quæ sunt intellectus, prope confundamus. b) *Imaginatione*, quæ rerum actu non præsentium sistit species, accedente non raro voluptatis tædique sensu, nunc nobis volentibus, nunc invitis, nunc rebus, prouti sensu antea perceptæ fuerant, exacte respondentes, nunc valde diversas: paucis, officiosa imaginationis ratio ex altera parte infinitas præstat utilitates, ex altera vero, nisi nobis, mature moniti, caveamus, perquam molesta est, verique & falsi iudicia misere perturbat — vitiorum subreptionis mater fertilissima — c) *Phantasia* — Ludricæ huic præstigiatrici fictiones & chimærae debentur; formas antea nunquam ita visas aut fortuito fibrarum nervearum lusu, aut meditato ipsius animæ consilio componit, unde aliam mechanicam aliam ficticem vocare volunt. d) *Memoria*, quæ speciem sive imaginatione nunc restauratam sive sensibus denuo objectam non plane novam sed innovatam judica-

mus, quorum proinde cognitio locum habere debet, eorum olim cum Idea sociis nobis conscios fuisse nos oportet. Inde varia explicamus phœnomena. e) *Præscientia* — ea siatus præsens præterito imprægnatus cernitur gravidus futuri, eaque omnis civilis prudentia, omnisque victæ ratio absolvitur. Sed quid de visionibus cum sua origine tum ratione illius, quod prævidetur, obscuris? — Excipias excipendas, & ceteras omnes ex naturali animæ vi, sensu quodam acutiori, imaginatione experimentis gravis, rationisque celerrimo officio ausim explicare. f) *Intellectu*, quo distincte cognoscimus; quum vero, quod nobis objicitur, distincte non cognoscatur, nisi & ipsum totum & quæ insunt, seorsim cogitentur, istud autem fieri nequeat, nisi ad similia quædam jam antea objecta referantur; placuit intellectui hos describere terminos, ut cernatur in iis, quæ sensus intuentur, cogitandis idque ope abstractarum quarundam formarum, ad quæ omnia reflectendo statim revocare liceat. Porro cum in abstrahendo plurimum adjuvemur signis, intellectus aliquem usum sine signis haud quidem plane negamus, difficillimum tamen fore putamus. Ex mente cel. Kantii intellectus & rationis hæc sunt provinciæ: Ille ope regularum sollicitus est de unitate in ipsa phœnomenorum serie; hæc vero cogitat de ipsis intellectus regulis summæ unitati principiorum à priori subjicendis. g) *Voluntate* Suus quemque sensus docet, voluntatem non uno modo sese exserere, nunc motibus obscuris, cum fertur in objectum non satis determinatum, nunc adpetitionibus claris, cum objecta clare percepta confectatur, interdum agitur adfectibus, cum motus animi vehementiores corporis motus conjunctos habent, qui plerumque ex vividis ac confusis perceptionibus existunt. Quum hi diversi motus potissimum ex natura repræsentationum dependeant, intelligitur omnes illas causas, quibus rerum cognitio & ingenium juvatur, variatur aut perficitur, in voluntatem quoque & characterem habere vim maximam. Verum isti voluntatis motus habilitates quasdam animi subponunt, in quibus ratio contineatur, cur ex aliis repræsentationibus adpetitus, ex aliis averfatio, ex illis placitum, ex his tædium enascatur; atque interna hæc ad certum quemdam volendi modum determinatio vocatur propensio, quæ, si ita invaluit, ut in affectus facile evadat, passio; quæ denique in propensione certo modo sese exserit vis, impetus seu instinctus dicitur. Quæcunque sunt animi studia ac propensiones, ea omnia ex sui ipsius amore sensuque sympathetico — benefico hoc amoris sui rezultato — commode deducantur, etenim lex volendi fundamentalis est: Quidquid tum in-tum externum statum perficit, defectusque removet, ad id ferimur; ex hac explicantur inclinationes ad ea, quæ homini utilia videntur, hacque impellimur ad cognitionem distinctam rerum, quæ perfectionem & pulchritudinem, quæ nova, insolita, sublimia, tragica, comica, vera, honesta &c. &c. objiunt. Verum lex ista, & quæcunque demum alii alias exhibeant, eam vim non habent, ut voluntatis libertatem evertant: ut enim argumenta, quibus comprobatur, si-learn; hac mihi sancta lege speculationibus, utut à Fatalistis intendantur, superior existo: Ad virtutis studium me esse obligatum certe scio; quare quamprimum speculatio cum eodem consistere nequit, id mihi argumento est, aliquem subesse

errorem. — Ceterum 1) de Ideis, de earundem origine, materiali formaliſque varietate, ſynthetica & analytica claritate, nec non relatione cum Semiotice; 2) de judiciis, de illorum diſiſionibus, affectionibus ac regulis — coram.

SOLUTIO III. Experimur eam animæ noſtræ indolem eſſe, ut cogitationem, cujus partes ſeſe mutuo tollunt, nec concipere, nec abſque omni, quæ rationem reddat, cauſa judicium unquam ferre poſſimus; in his regulis humanæ cognitionis veritas fundata eſt, & omnino, quo quis juſtis ac definitis rerum notionibus inſtructor erit, eo feliciter iisdem utatur necelle eſt. Qua de re informati notionibus, quas dicunt, ontologicis ſequentia, quibus plura alia continentur, eruimus theorematum: 1) Mundus eſt ens contingens, conſequenter 2) habuit exiſtendi initium: 3) coepta vero illius exiſtencia caſui puro nequit adtribui; ergo 4) cauſa efficiens eſt ſubſtantia neceſſaria ab eodem diverſa, quæ 5) unica, quæque 6) in omni perfectionum genere infinita illum perfectum ex nihilo produxit, ac 7) legibus tum moralibus tum 8) obſequioſiſſimis phyſicis coercuit. Inde a perfectionibus ſcilicet & operibus divinis ratio, quam ad Deum habemus, nobis luculentiffime innotescit; cui enim iisdem cognitionis non ſuccurrit, ſapientiſſimo univerſi hujus Auctori, potenti ac benigniſſimo gubernatori, & eorum, quæ committimus homines, in hac atque altera vita remuneratori ac vindicti juſtiſſimo religionem omnino deberi: nam plurimis iſque ſummis perfectionibus & omnem cogitationem noſtram ſuperantibus abundat natura divina, — ex hoc ſummus exiſtit honor. Porro quia, cui perſpecta ſunt infinita Dei adtributa, is illis non poteſt non magnopere delectari, alterum enaſcitur officium Deum amandi, cujus amoris incitamentum maximum eſt illimitata Dei bonitas. Omnipotentia & omniſcientia ſi diſtincte vivideque percipiuntur, id efficiunt, ut ad ſtudium excitent indefeſſum, omnia, quæ Deo placent, agendi, omniaque, quæ ei diſplicent, omittendi: quod ſtudium vocatur obſequium erga Deum. Et, quum homo Deum niſi tanquam ens perfectiſſimum cogitare non poſſit, quam maxime erit ſollicitus, ne eum ulla re offendant, aut quidquam dicat faciatur, quod conjunctum ſit cum ejus ignominia, quove ejus indignationem adverſus ſe provocet. Atque hanc ſollicitudinem Dei reverentiam adpellare conſuevimus. Præterea notis Dei perfectionibus fieri plane nequit, quin omnem in Deo fiduciam ponamus, atque in ejus providentia unice adqueſcamus. E fiducia in Deum procedunt preces, ex hac etiam ſolum cauſa commendandæ, quod ad humanæ voluntatis emendationem vim habeant maximam: quis enim tam proſtigati erit animi, ut ad Deum illum, contra quem ſcelus vel auſus eſt vel auſurus, precandum adorandumve adcedat.

SOLUTIO IV. *Medium* v. omnibus hominibus, quum hoc à natura tributum ſit, ut incredibili felicitatis cupiditate trahantur, relictis omnibus operam dare quisque debet, ut veram minimeque fallacem felicitatis, ſummique boni notionem animo inſormet.

Medium

Medium 2. Ea informatus, quæ ad veram ducat felicitatem, viam exquirat; hac autem inquisitione facta continuo intelliget, universim ad felicitatem viam per virtutem patere.

Medium 3. Sed virtuti obstant impedimenta homini intrinseca, obstant & extrinseca: ergo ut illa amoveat, hominem eumque non ex Platoniorum aut Stoicorum libris *Metaphysicum*, sed hominem *Naturæ*, hominem, aio, quem ac quocum vivimus, ex historicis, practicis Philosophis & conversatione addiscat, in eoque contemplando ejusdem constitutionem, characterem, temperamentum, clima, cultus victusque rationem, verbo, omnia, quæ ei insunt à natura vel vitæ conditione, perpendat, atque demum secundum hæc in vitæ beandæ regulas meditetur oportet.

Medium 4. Porro virtus est constans ac perpetuum justitiæ studium; proinde nos aut nostra culpa alii a justitia deflectant. notiones obligationis, legis, officii, imputationis, conscientia aliæque huc pertinentia calleamus necesse est. Inde ex notitiâ scilicet agendorum omittendorumve & ex sancta illorum, quam excul-ta affectuumque domina ratio jubet, observatione consequitur omnino acquiescentiæ status, cujus tanta vis est ac suavitas, ut neminem sane poeniteat, se unquam in æde sapientiæ litasse, ex qua tanto cum lænore, tantique boni possessione gaudet redire.




MBL 00 1023

Idea fodi
) Prascien
 i, eaque om
 nionibus cum
 ias excipien
 imaginatione
 Intelle
 e non cognos
 autem fieri no
 intellectui hom
 dis idque ope
 evocare liceat
 nem ulum line
 s. Ex mente
 rum sollicitus
 intellectus re
 Suis quem
 tibus obsecris,
 claris, cum
 motus animi
 vidis ac con
 atura rept
 cogitatio &
 ceterem ha
 imi subpo
 eticus, ex
 haec ad
 si ita inva
 pto modo
 dia ac pro
 pefico hoc
 entalis est:
 ad id feri
 r, hacque
 ritudinem,
 bjiunt.
 n habent,
 obatur, si
 superior
 amprimum
 em subell
 550.

erro
rieta
judic

cuja
 reid
 veri
 tior
 quas
 mat
 coep
 sub
 tion
 rali
 op
 cui
 ti ac
 alter
 mis
 dat
 in fir
 tur
 bon
 cien
 niag
 Et,
 max
 con
 get
 not
 atqu
 ces
 dato
 illur
 ceda

cum
 quis
 mem



7

earundem origine, materiali formalique va
 ate, nec non relatione cum Semiotice; 2) de
 tionibus ac regulis — coram.

animæ nostræ indolem esse, ut cogitationem,
 concipere, nec absque omni, quæ rationem
 possimus; in his regulis humanæ cognitionis
 quis iustis ac definitis rerum notionibus instruc
 necesse est. Qua de re informati notionibus,
 quibus plura alia continentur, erimus theore
 , consequenter 2) habuit existendi initium: 3)
 o nequit adtribui; ergo 4) causa efficiens est
 , quæ 5) unica, quæque 6) in omni perfec
 tionem ex nihilo produxit, ac 7) legibus tum mo
 dicis coercuit. Inde a perfectionibus scilicet de
 eum habemus, nobis luculentissime innotescit;
 rit, sapientissimo universi hujus Auctori, poten
 rum, quæ committimus homines, in hac atque
 stissimo religionem omnino deberi: nam pluri
 omnem cogitationem nostram superantibus abun
 s existit honor. Porro quia, cui perspecta sunt
 potest non magnopere delectari, alterum enasci
 oris incitamentum maximum est illimitata De
 tia si distincte vivideque percipiuntur, id effi
 lum, omnia, quæ Deo placent, agendi, om
 : quod studium vocatur obsequium erga Deum.
 n ens perfectissimum cogitare non possit, quam
 te offendat, aut quidquam dicat faciatve, quod
 quove ejus indignationem adversus se provo
 reverentiam adpellare consuevimus. Præterea
 nequit, quin omnem in Deo fiduciam ponamus,
 quiescamus. Et fiducia in Deum procedunt pre
 mendandæ, quod ad humanæ voluntatis emen
 s enim tam profligati erit animi, ut ad Deum
 est vel ausurus, precandum adorandumve ad

omnibus hominibus, quum hoc à natura tribu
 ditate trahantur, relictis omnibus operam dare
 e fallacem felicitatis, summique boni notio

Mediana